



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. Unde oritur obligatio restituendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

quòd si Dominus longè ferret ægrius usum, quàm otiosam detentionem, eo quòd res usu atteratur, vel periculo exponatur, tunc gravius peccas usu ejus rei, quàm nuda detentione: nam plus est cæteris paribus uti re aliena, quàm eam nude detinere invito Domino, ac proinde major est injuria. 2. Si res apud te facta sit deterior, ita ut prudenter judices, Dominum eam non amplius velle, sed potiùs pretium ejus; non peccas eâ utendo, aut eam destruendo, quia hoc non facis invito Domino. Peccas tamen, ejus pretium non restituendo, cum primùm potes.

CAPUT III.

De Radice obligationis restituendi.

Q. I. Unde oritur obligatio restituendi?

Resp. **U** Ex quatuor Capitibus scilicet I. Ex injusta acceptione, qua intelligitur injusta, & culpabilis rei alienæ ablatio, retentio, vel damnificatio, ex cap. ult. de Injur. ibi: *si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.* Nam jus per injuriam auferri nequit: ergo in eo, cujus res ablata, vel destructa est, semper manet jus ad illam habendam, vel ejus pretium, quod est res æquivalenter: ac proinde manet in altero obligatio restituendi.

restituendi. 2. Ex re accepta, id est, ex re aliena in se, vel in æquivalenti existente apud alium sine huius culpa; nam *locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ, vel jacturâ*, reg. Jur. 48. in 6. Deinde dum res est aliena, eo ipso subest juri alterius, qui inde minus habet, dum eâ caret, quàm habere deberet. 3. Ex contractu explicito, vel implicito, seu quasi contractu in assumptione Officii, seu muneris, nam quidquid fit contra pactum, vel Officiuni ad aliorum commodum spectans, est contra iustitiam commutativam, ideóque obligat ad restitutionem. Ex lege positiva, & iuxta sententia. De his duobus ultimis alibi dictum est.

Q. 2. An oritur obligatio restituendi ex damnificatione nullatenus peccaminosa, v. g. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam?

Resp. Non oritur extra contractum, & officium. Quia 1. *Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non convenit.* Cap. 2. de Constit. 2. Qui damnum sine ullo peccato extra contractum, & officium intulit, ex nullo capite tenetur restituere: non ratione injuriæ, cum non peccaverit; neque ratione rei acceptæ, aut contractûs, vel legis, cum nihil horum exstet. 3. In hoc casu damnum non illatum fuit damnificato rationabiliter invito: nemo enim potest velle rationabiliter, ut quis sibi non inferat damnum etiam tum, cum de eo

infe-